



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia VWestfaliæ

Schaten, Nicolaus

Nevhsii, 1690

Caroli Majoris Domus Epistola Generalis. De suscepto intuitionem ac
defensionem Episcopo Bonifacio.

urn:nbn:de:gbv:3:1-367846

vestro proferre. Jam enim ad vesperascit dies sæculi, et appropinquat tempus tenebrarum. Ideoque nolite esse otiosi, sed potius operamini opus bonum, ut Christus habitet in vobis, et quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo patri per ipsum: respicientes gentilitatis sectam, scientes vos Dominum habere in cælis. Orationi instantes, ad ipsum Dominum cor erigite: quoniam magnus est Dominus Deus noster, et laudabilis nimis, et terribilis super omnes Deos: qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis pervenire. Hoc etiam commoneo fratres, ut quicumque voluerit ex vobis ad Christum converti, nullo modo eum prohibeatis, nec vim ei faciatis, sculptilia adorare. Ministrum quoque et conservum in Domino, quem misi ad vos, Bonifacium fratrem ac Coepiscopum meum ad hoc ipsum ut cognoscat, quæ circa vos sunt, et consoletur corda vestra cum exhortationis verbo, in Jesu Christo Domino nostro suscipite, ut à Diabolica fraude liberati mereamini adoptionis filiis aggregari.

Haud alij hi antiqui Saxones, quàm qui medij inter Thuringos, Hassos, & Frifones veterem Franciam regionemque inter Rhenum & Visurgim incolebant, & sub Carolo M. Westphali appellari cœperunt, quemadmodum id supra de origine Saxonum à nobis assertum est, quod & à Serrario alijsque comprobatur. Nihil Pontifici consultius visum, nihil Bonifacio Germanorum Apostolo magis in voto erat, quàm Christi religionem ijs quoq; populis annunciare; quando jam Thuringia & ipsa Frisia Evangelium receperat. Igitur Bonifacius postquam Germaniam est ingressus, primum se ad Carolum Martellum contulit. Jam dudum viri famâ ad se perlatâ expetijt Martellus videre Bonifacium; sed cum malevolorum sermonibus ac depravatis judicijs perfrictus esset apud Ducem, non continuo admissus est. Post ubi exhibitis Pontificis literis coram auctore differentem, spirantemque è vultu religionis zelum, æstimavit virum, datisque ad præfectos suos per Thuringiam & Hassiam literis, cum auctoritate dimisit: hæ verò literæ sic habent.

Othlonus.
S. Ludger. in
Bonif. vita
Serrar. in
Aogunt.
Tom. 17.
concil. Re-
gior. Par.

CAROLI MAJORIS DOMUS

EPISTOLA GENERALIS.

De suscepto in tuitionem ac defensionem Episcopo Bonifacio.

Dominis sanctis & Apostolicis in Christo Patribus Episcopis, Ducibus, Comitibus, Vicariis, domesticis, seu omnibus agentibus junioribus nostris, seu missis decurrentibus, & amicis nostris, illustris vir Carolus Major Domus bene cupiens
vester.

COgnoscatis qualiter Apostolicus vir, in Christo Pater, Bonifacius Episcopus ad nos venit, et nobis suggestit, quod sub nostro mundeburdo vel defensione eum recipere deberemus. Quod ita gratanti animo nos fecisse cognoscite. Proinde ergo taliter ei manu nostra roboratam dare visi sumus, ut ubique

cumque ambulare visus fuerit, cum nostro amore, vel sub nostro mundeburdo et defensione, quietus vel conservatus esse debeat: eâ ratione ut justitiam reddat, et justitiam faciat et accipiat. Et si aliqua causatio vel necessitas ei advenierit, quæ per legem definiri non potuerit, usque ante nos quietus et conservatus esse debeat, tam ipse, quàm qui per ipsum reclamare se et sperare videntur. Ut nemo aliquam contrarietatem vel damnationem adversus eum facere præsumat: sed omni tempore sub nostro mundeburdo vel defensione quietus vel conservatus residere debeat. Et ut certius credatur, manu propria subter firmavimus, et de annulo nostro sigillavimus.

Hac Caroli auctoritate præmunitus Bonifacius, Hassiam primum ingressus incredibili fervore & constantiâ peragrando regionem, & sub tentorijs cum discipulis pernoctando, evangelium Barbaros docere institit. Visus est hanc provinciam Hassiæ tanquam horridam superstitionis silvam intrare Bonifacius, in qua effera gens majorum præstigijs, aruspicum responsis, dæmonum ludibrijs dementata lignis & fontibus sacrificabat. Cumque in miræ magnitudinis quercu, quam Jovis arborem colebant, excindenda Bonifacius occuparet suos, advolat ingens paganorum multitudo, strictis in Bonifacium securibus. Interim arbor quanta est, in quatuor partes spontè rupta magno fragore dissilit; quo conspecto majorem Numinis vim venerati in Bonifacio, ultro ejus se doctrinæ permiserunt; & ille percurfando regionem brevi magnam partem à gentili-um erroribus perpurgatam, ad veri Dei cultum perduxit. Utrumne etiam Bonifacius ex Hassiâ aliquando in vicinam Saxoniam digressus sit, & Westfalis Angarijsque Christi legem tradiderit, præsci illorum temporum scriptores non satis tradiderunt: liberior per Hassiam & Thuringiam disseminandi Evangelij facultas, quæ imperio Francorum tenebantur: Saxoniam per id tempus tributaria tantum Francis suis legibus & ritibus relinquebatur. Multa interim vestigia, quæ Bonifacium Westfalos & Angarios adijisse haud obscure demonstrant, Hammeliæ cum primis ad Visurgim, ubi istic cis flumen Bernardus Comes, cui in Engerbergo monte habitationis sedes fuit, unâ cum conjugè à Bonifacio sacris Christianis imbutus traditur. Is deinde partem bonorum in Hamelensem Ecclesiam, partem in Fuldense monasterium dotandum convertit. Hamelia quæ antiquitus Fuldensium patrimonium fuit, anno demum MCCCLIX ab alienata cessit alteri possessori. Ostenditur & alia ædes sacra in Engerbergo monte per Bonifacium D. Dionysio sacrata; perinde ut Hamelense templum S. Romano Martyri, ab eodem Episcopo dicatum memoratur, quod Leo III. Pontifex, cum ad Carolum in Saxoniam descenderat, magnificentius structum à D. Bonifacio patrono nomen referre voluit. Comitem seu Satrapam prius Everhardum dictum voluit, conjugem Odelgundinam; postquam Baptismo abluti, illi

Bonifacii
verisimili-
liter etiã
Westfali-
am illu-
stravit
doctrina
Christia-
na.
Chron.
Mind.
Joannes de
Essend.
Joannes de
Solde Can.
Hamel. ex
monumentis
Eccles. sue.
Cleinforgius
in Chron.

Reineccius
de orig. Sa-
xon.

Meibom.
Lesnerus.
Winckelm.
in Westph.
descrip.

Vita Walt-
geri.

Tabula col-
leg. Freckē-
horst.
Bollandus &
Garnanlius
in vita Thi-
athildis c. 3.
in append.
ad 30 Jan.

Baron. ad
ann. 726.
Fronto Du-
cens.

Bernardi, huic Christinae nomen datum. Vulgare hujus rei monu-
mentum ex veteri lapide apud Hamelenses, cui inscriptum.

Anno Domini DCCCXII. Bernardus Comes, Christina Comitissa,
regni Angariae de Osten fundarunt hanc Ecclesiam.

Quaquam Epigrapha illa neque saeculum Bonifacii, neque annum
referat; sed Caroli M. potius ac Leonis Pontificis. Reperio etiam au-
ctorem, qui Fuldenses Monachos Hamelensi Ecclesiae à Bonifacio
primum impositos refert: plerique ex cognomento de Osten Ori-
entalis Angariae Comitem fuisse censent; quaquam & pagus ho-
diedum, ad Visurgim Osen, in quo alij Satrapam confedisse volunt.
Alterum Bonifacii monumentum acta D. Waltgeri exhibent. A-
vum is memoratur habuisse, virum inter Satrapas Angariae nobilem,
Adolphum nomine, quem D. Bonifacius primum Christiana doctri-
na imbuat, & fonte Baptismatis abluit. Is deinde Deddam filium ijs-
dem Christianorum sacris à puero excoluit, Dedda Waltgerum fili-
um. Hic ille Waltgerus, qui Carolo M. & Ludovico Pio Imperatori-
bus nobilem illum virginum Parthenonem Hervordia condidit, &
paternis opibus tam largè dotare coepit. Quae vel eò mihi comme-
moranda hoc loco fuere, quod Hamelia intra Mindensis, Hervordia
verò intra jurisdictionem sacrae Episcopi Paderbornensis compre-
hensa. Haud secus Monasterienses ex inferiori Westfalia Bonifacii ad

se accessum commonstrant. Vetus apud eos collegium virginum
Freckenhorstense haud procul ab Amasi & Warendorpio. Conditor
ejus D. Ewerwordus ex prima ejus loci nobilitate, cujus proavus ac
proavia à D. Bonifacio, dum iter in Frisiam haberet, & hospitio exci-
peretur, Christi fidem edocti, transmisere illam in filios ac nepotes.
Asservatur hodieum apud virgines ejus loci D. Bonifacii baculus
teres & lamellis inductus, quem proaviae olim dederat Bonifacius,
monumentum pietatis & posteritatis. Haud dubium quin hujusmodi
cōplura ex rebus per Westfaliam à Bonifacio gestis habituri essemus,
si, perinde ut commissum sibi à Pontifice veterem Saxoniam pertent-
avit, docendo & peragrando, scriptor aliquis posteritati consignaf-
set. Prorsusq; credibile Mimimigardum adijisse, ut quos istic Suibert⁹
reliquerat Christianos, requireret confirmaretque. Ac licet barbara
tunc Saxonia & superstitioni tenacissimè dedita; multi tamen in
ea viri nobiles, qui aut Francis militarunt, aut gloria Christianae reli-
gionis perstricti inanum Deorum cultum improbare coeperunt. Et
qua fiducia Pontifex ad proceres populumque veteris Saxoniae scri-
bere induxisset in animum? nisi jam inter eos aut pronos ad Christi
fidem, aut jam edoctos comperisset. Sanè ipse Gregorius, binis ad
Leonem Isauricum Orientis Imp. literis perscripsit, se quo minus ad
provincias Orientis proficisci possit, stare in procinctu itineris in
Occidentem suscepti, ut principes quosdam recens in Christiana fi-
de eru-

de eruditos, idque à se flagitantes, ipse Baptismatis unda ablueret, quos Baronius haud alios censet fuisse quam primarios è Saxonum populo viros ac Satrapas, quos D. Bonifacius proximis annis tanto hominum nobiliumque virorum concursu ad Christi Ecclesiam per Thuringiam, Hassiam, & Saxoniam aggregarat. Ad hosce D. Bonifacij Apostolicos labores & pericula exclamat D. Ludgerus. *Quid nos miseri, pigri et inertes in pace Ecclesiæ dicturi sumus? qui non gregis lucra, sed commoda nostra querentes vix unquam in custodia ovium contra rabiem luporum, vel unum latratum minimi sermonis emittimus.*

D. Ludgerus in vita Gregorij & Bonifacij apud Brovver. in Sid. Illustr.

Sed jam annus Christi accesserat 724. plenus adhuc & crudus civilibus Franciæ armis, quibus Martellus fatigatus, ne Saxones Frisiosque tumultuantes perdomaret, & religioni Christianæ liberius per eas gentium provincias ostium aperiret. Eudo quippe post Raganfridum relictus Martello capitalis hostis, violato fœdere, prædabundus in Franciam irruerat; in quem Carolus transito Ligeri movit exercitum, victumque fugavit, incensâ regione ejus. His Eudo ad scelerata consilia versus, Saracenos imploravit, introduxitque in Galliam, haud secus quam Raganfridus antea Radbodum & barbaras gentes in Regnum Franciæ exciverat. Jam Saracenorum gens, promiscuo nomine Mauri, occupatâ Ægypto, Palestinâ, Syria, non modò Asiam, sed & Africam subegerat, ex Africa angusto freto transmissa Hispaniam invaserat, & non tam armis quam ignavia Principum & depravatis Christianorum moribus victrix totam sibi Europam destinabat. Jamque Galliam Gothicam armis sibi submiserat, ex qua ab Eudone in interiorem Franciam exciti Carolo Martello diuturnum ac fatale bellum fecere; quos tamen Achilles ille Franciæ continuis prælijs victor fregit, donec omni demum Galliâ etiam Gothicâ eijceret. Ac primam quidem Caroli victoriam, quâ ingenti strage Abdynamum Saracenorum Regem fudit, insequens annus memorabilem fecit; cæsa enim Barbarorum trecenta septuaginta quinque milliâ, desideratis Carolinis mille quingentis. Juvat hæc paucis hoc loco delibare, quoniam eadem Saracenorum bella in Pipino Rege & Carolo M. audituri sumus, quibus hi Francorum Reges sæpius interturbati, quo minus Saxoniam pro voto debellarent.

An. Christi 724. &c.

Ann. Franc. Fredeg.

Carolus Martellus civilibus Franciæ bellis impeditus cum Eudone. Eudo Saracenos introducit in Galliam.

Carolus Martellus Saracenos prælio vincit

Othlon. in vita Bonif. Serrar.

Heida. Bonifacius exculta Hassia transit. in Thuringiam, in qua Christi religionē instaurat.

Inter hæc quantum Willebrordus in Frisia, tantum Bonifacius in Hassiam Christianam promovit; animabat utrumque Martellus, à quo hoc anno regia donatio facta Trajectensi Ecclesiæ, datusque advocatus, qui tueretur bona & operas. Et Bonifacius postquam Hassiæ in præfens excultæ providerat operarijs, in Thuringiam est profectus; quàm veterem Francorum provinciam, quod in eam cum depravatis sacerdotibus hæresis serpere cœperat, iterato excolendam, expurgandamque suscepit. Olim quidem in Thuringiam post debellatum Herminefredum Thuringorum Regem, & à Fran-

cis in provinciæ formam redactam à Theodorico Rege, ut supra relatum, alijsque Francorum ducibus Christi religio introducta erat; sed ea & temporum bellorumque injuriâ, & vicinorum Episcoporum, quibus ea cura commissa erat, locordiâ, & rudium sacerdotum depravatione, tanquam in silvescente agro cum vero semine prope modum extincta erat. Accessere falsi doctores, qui fornicationem & adulteria in gente illa libera fecerant, & ab omni lege Christiana absolverant. Indignè id habuit Bonifacium, cum primis ob vicinos Saxones, apud quos prisca illa castitas & severa matrimonia, qualia à Tacito & Salviano nobis traduntur, adhuc vigeant, neque crimen ullum quàm hoc ipsum genti illi detestabilius erat; quemadmodum hæc ipse Bonifacius ad Ethibaldum Merciorum Regem scribit; quem ut ab adulterijs revocaret, Saxonum paganorum continentiam, & severissimis legibus ac pœnis suo adhuc ævo castigata adulteria adducit. Proscriptis igitur falsis doctoribus, novum Bonifacio cum comitibus & præfectis Francorum bellum erat, à quibus tanta avaritia & dominandi inclementia tractabantur Thuringi, ut malent Saxonum quàm Francorum imperia. Et huic malo cum remedium attulisset, mirè sibi devinxit Thuringorum animos; ac postquam docendo cœpit peragere vicos & oppida, tanta hominum multitudo se ultro obtulit ad Baptismum & Christi legem, ut messis copia non nisi operarios desideraret. Quàm in rem novas ex Anglia auxiliares copias adjutoresque Evangelij accersit, quorum sex percenset Othlonus S. Burchardum, quem Herbipolensis Ecclesia primum habuit Episcopum, & Paderbornensis diocesis primum vicarium Episcopi, B. Lullum Moguntinum Archiepiscopum, SS. Willibaldum & Winibaldum fratres, Wittam, sive Wittanum. Non tamen hi omnes tum ex Anglia primum venire, quando jam antè Willibaldus & Winibaldus cum Willebrordo & Suiberto in Frisiam appulisse traduntur. Unde multa à scriptoribus illis confusè tradita sunt, quæ tot modò litibus agitantur. Adscripti & in hunc numerum adjutorum evocatorumque à S. Bonifacio Sturmius, primus Fuldenfis Abbas, Sola sive Solus, vitæ solitariæ cultor, Wigbertus Frislariensis Abbas, omnes sanctitatis fama clari, alijsque Apostolici viri; quos & virgines secutæ ex Anglia in Germaniam, Waltburgis soror Willibaldi & Winibaldi, Lioba, Chuniildis, Beragithis, Chumdrudis, Tecla, quæ à Trithemio Haldelonga appellatur. Tantus foemina juxta ac viris ardor fuit plantandi religionem, colligendique cœtus sanctarum virginum, quibus jam Anglia plena erat. Quin Beda, qui hoc tempore historiam conscribebat, fassus est, tanto numero nobiles Angliæ privatosque & se & filios suos dedisse in monasteria, ut quem finem neglectis sepositisque studijs bellicis res habitura sit, posteriorem ætatem visuram; tanquam vir sapiens improbaret illam

Bonif. Epist.
19. data an.
no 745.

Serrav. l. 3.
Notat. 24.

Bedalib. 5.

illam Monachorum & religiosorum multitudinem, qua Regnum Angliæ enervandum timebat.

Mors subinde ex hoc Apostolicorum virorum numero, quos Anglia submiserat, D. Willeicum subtraxit; atque hic simul decimus mortis annus est Willeico à morte D. Suiberti, quem Marcellinus consignavit. Dies obitus secundus Martij, quo magistrum ex primo Martij die consecutus vir cælo maturus, quem D. Suibertus à primo in Saxoniam ingressu discipulum & laboris comitem habuit, cui semper à vitæ innocentia, virtutumque cultu & religiosi instituti disciplinâ ante omnes carus fuit; quem vivum etiam Deus sanctitatis fama ex miraculis Coloniae editis clarum fecit. Ideo Suibertus moriens hunc monasterij Werdensis præsidem dedit, quo in munere Suiberti exemplo religiosæ vitæ disciplinam quam sanctissimè excoluit, & simul circumpositos Boructuariorum Saxonumque vicos & oppida percurrendo multos ab idolorum vanitate ad Christi cultum perduxit; ac si quæ etiam Minimigardi alijsve in locis Christianorum reliquiæ ex prima D. Suiberti cultura erant, his ad Willeicum & ad insulam Werdensem perfugium fuit.

An. Christi 727.
Miræus in Chron.
Molanus in nat. Belg.
Garnefeldus Veldius.
Bolland. tom. 1. in Mart.
D. Willeici mors in Cæsaris insula, ejus elogium.

Ceterum Carolo Martello in Gallijs Saracenorum bello, Eudonisque turbis occupato (qui tamen perfidus Gallia turbator hoc anno fatis concessit) Frisij duce Poppone feroci gentis suæ homine rebellare nunciantur; jamque alter Radbodus ab inferis resuscitatus timeri poterat, tam ille crudeliter in Francos & Christianorum sacra desævire cœpit. Carolus ut hanc rebellionem in primo suo motu comprimeret, antequam Saxonum aliarumque gentium viribus potentius adolesceret, naves bellicas expediri jubet, & militem imponi. Inde Drusi Germanicique vestigia legens per mare cum instructâ classe, opinione celerius in Frisiam appulit; confestimque exposito in terrâ milite in interiorem insulam pervadit, stupentibus incolis, Carolum ante famam adventus consistere in Frisia. Castra ad Burdonem seu Bornam fluvium, quo * Ostergoa & Westergoa dirimuntur, collocat, & quo pugnandi ardore inflammatus agebatur, exercitum ducit in hostem. Audax Principis factum, ignari locorum & paludum, in quibus tot Romanorum exercitus suis fatis deleti. Occurrunt Frisij Duce Poppone suo; confertum acre prælium: cæsi magna strage Frisij: trucidatus Poppo rebellium caput. Inde Carolus victor regionem pervadit, fana Idolorum diripit subvertitque, præfectos cum imperio imponit, ac gentem jugo submittit. Non antè Willebrordo & Christianis sacerdotibus liberior explicatiove Religionis apertus est campus. Jam & illi ad Isalam & Amasis ostia per Saxonum fines Christianam legem palam docere ausi, quod Saxones eodem Caroli Francorumque terrore perstricti, quietis ac pacis magis quàm belli consilia habuere, ne Frisonum excidium in sua quoque capita pertraherent.

An. Christi 728.
& 729.
Frede. c. 109.
Ann. Franc.
Frisij duce Poppone rebellant.

Hamconius in Frisia in Adgillo.
* *Fredegar. rig.*
Anistrachia & Anstrachia.
Carolus Martellus classe ad- vectus Frisiam intrat, & Poppo- nem ez- dit.

Com-

An. Christi 730. *Ann Franc. Till. in Chron.* Carolus Martellus Saracenos cædit, & Galliam purgat. An. Christi 731. Gregorij II. Pontificis mors, ejus studium & labor in convertenda Germania.

Compositis in Frisia rebus bellicis sacrisque, Carolus in Franciam cum exercitu regressus est adversus Saracenos. Jam enim hæc barbara gens, quæ Vesparum instar se auxerat ex Hispania in Galliam effusa Avenionem urbem prodicione ceperat; lateque per Galliam spolijs, cædibus & incendijs favitum erat. A Theodorico Francorum Rege nihil opis, nihil consilij, quod eum inertia ac stupor ex memoria hominum expunxerat. Spes omnis in uno Carolo; is cum exercitu advolat, Avenionem urbem recipit, & Saracenos ingenti clade obtritos profligat. Hoc ipso anno, quo Beda Historiam suam finit, & Romæ Gregorius II. Pontifex obiit, cujus si res gestæ ac scripta extarent, censuit Baronius Gregorio primo ac Magno æquari posse. Quanquam hoc ipso Magnus, quod, ut alter à Beda Angliæ Apostolus est dictus, ita hic Germaniæ Apostolus non immeritò appellari possit. Tanto enim studio sibi post Sergium Pontificem Frisiam, Thuringiam, Hassiam, Saxoniam & Germaniam ad fidem traducendam sumpsit, & tot se Episcopos & Clericos in eas provincias misisse scribit, quorum si reminisci vellent horum temporum Germani ac Saxones heterodoxi, intelligerent profectò Præpositos ac primos sacerdotes, à quibus illis primum verbum Dei traditum est, à Romano Pontifice submissos esse, nec aliam quàm Romanam religionem à primordijs in has regiones Saxonie invecitam esse.

An. Christi 732 & 733. Carolus Martellus ingenti clade Saracenos profligat. *An. Franc. Fredegar. Chapeauville ad vitæ D. Servat.* Altero mox anno Carolus Gothorum fines ingressus Narbonem obsidet, Regemque Saracenorum Athirvam tanquam cavea inclusum tenet. Ad quem liberandum dum Saraceni innumeris gentis suæ copijs ex Hispania advolant, Carolus eos ad Persam fluvium die Servatio sacro ad internecionem delet; receptisque urbibus, & hoste barbaro ejecto, totam Narbonensem provinciam Regno Franciæ reddidit. Tutius inde nomen Carolo datum invaluit, quod mallem instar Barbarorum capita pertunderet. Princeps, quem natura bellicis genuerat, fortuna aluit victorijs, Ecclesia unicum eâ tempestate præsidium adversus Barbaros coluit.

Pari felicitatis successu Bonifacius bellum, quod in superstitione & cultu Idolorum evertendo inter Barbaros susceperat, per Thuringiam & Hassiam provexit, jamque in utraque provincia summi infimique Christi religionem incredibili rerum mutatione amplectebantur. Quæ postquam per legatos accepit Gregorius III. Pontifex, magnopere per literas animavit Bonifacium, auctis etiam honoribus. Nam quem Gregorius II. incertæ sedis consecravit Episcopum, Gregorius III. Pontifex Prioris successor misso pallio Archiepiscopum renunciavit; dataque Bonifacio potestas consecrandi Episcopos, imponendique eis Thuringiæ & Hassiæ locis, quibus id commodum videretur; uti & postea præstitum à Bonifacio; Sed ille primum templis extruendis intentus; quorum alterum Amaneburgi Michæ-

gi Michaëli Archangelo dedicavit, alterum Frislarie in confinio Hafforum ac Saxonum construxit, quod Principi Apostolorum Petro & Paulo consecratum. Ad utramque Basilicam duo monasteria erexit, collectis mox discipulis, qui in ijs formarentur adjutores Evangelij. Frislarienti congregationi impositus S. Wigbertus vir doctrina & sanctimonia clarus, à quo egregij viri exculi, qui exinde per Hassiam & Saxoniam dispersiti barbaras gentes docuere; interque eos Sturmius primus Fuldenfis post Abbas, & à Carolo M. post traductus ad has Saxonie partes ad prima Christiane religionis semina propaganda. Jamque Saxonia ex Hassie & Thuringie finibus à Bonifacio, ex Frisia atque Isala à Willebrordo, ab Rheno à D. Suiberti discipulis excolebatur; nec tamen ultra, quam Francorum arma imperiumque se porrexerat, Christi religio in duro Saxonum populo firmari poterat; tantum limites circum à Meridie & occasu & Septentrione collustrari coepti, nec Carolo ob bellum cum Saracenis & Gothis Saxones adhuc dum debellare licuit. Nam tribus ab hinc consequentibus annis in purganda Gallia occupatus, primum Saracenos prælijs obrivit, deinde urbes eorum & castella, quæ infederant, expugnavit, ac solo æquavit, donec qui reliqui erant, ad naves compulsos, & in ipsa fuga comprehensos, Carolus in mare præcipites agi juberet.

Per hanc Caroli ab Rheno absentiam Saxones, qui intra Rhenum & Visurgim incolebant, ac post Westfali sunt dicti, facta gentis conspiratione rebellant, seu tributis impatientes, seu odio Christianorum; nam *Paganissimos* eos Fredegarius appellat, tanquam verbo illo belli causam ex superstitione, cujus tenacissimi erant, indicare voluerit. At Carolus audita gentis impietate & audacia, exercitum ab ultima Francia ad Rhenum ducit, eoque incensior, quo infestior Saxonum ille populus Christi sacra & sacerdotum labores perturbabat. Igitur eo loco, quo Luppia in Rhenum influit, transmissio fluvio, via militari Romanis ducibus frequentata, cum exercitu in mediam Westfaliam penetrat. Omne victoriae momentum Carolo in celeritate erat, quod famam sui adventus prævertens in visceribus hæreret, priusquam arma singuli conjungerent; inde in obvia quæque agmina ferro raptus sævam gentem fregit. Drusum tum aliquem vidisses aut Germanicum Cæsarem cædibus, incendijs ac spolijs grassantem. Ita victi, ut antè, Frisij, obritiq; jugum in præsens accipere, dare obfides, tributa, ut hæctenus fecerant, pendere, præcones Evangelij, si non admittere, saltem in suis sedibus liberos relinquere jussi. Quibus confectis victor à Visurgi ad Rhenum & in Austrasiam reduxit exercitum.

Atque hunc ultimum simul annum volunt, quo Theodoricus eo nomine IV. Francorum Rex excesserit, unde ad annum 743. & Childerici initia non tam Francie regnum quam interregnum fuit,

Bonifacius Amneburgi, & Frislarie in Hassia Basilicas & Cœnobiam erigit. *Broverius in notis ad Rhabanum.*

An. Christi 734.
735 & 736.
An. Franc. Fredeg. in Chron.
An. Christi 737.
Ann. Franc. Fred. c. 109. Sigeb. Herm. contra.
Saxones per Westfaliam rebellant, in quos Carolus transit ad Luppie ostia Rheni exercitum ducit.
Saxones à Carolo Martello obriti.

Henschen. ex Labao.

impe-

imperio omni penes Carolum Martellum tantisper relicto; quam non desint, qui ante biennium extinctum velint. Sed perinde id reputes, quantum vixerit, qui vivus non nisi umbra Regis fuit. Re ipsâ Carolus Rex: nec tamen pro merito factorum Regis nomen sibi unquam sumpsit. Quin Sirmondus in notis ad Epistolam Gregorij II. Carolo duci inscriptam post Theodorici II. obitum Carolum Martellum per septem, aut, ut ex codice docet, novem annos regnasse solum, quod à ceteris scriptoribus minus observatum, contendit, ideoque acta interea ejus solius nomine consignata esse. Inde inter bellum Saxonicum consequenti anno, qui Christi erat 738. ab Rheno in Galliam Narbonensem movit, & Maurontem provinciæ Ducem, à quo Saraceni denuo in Galliam evocati erant, armis confutum mox Galliæ finibus eiecit.

An. Christi
738.

Bonifacius
tertium
Romam
proficiscitur.

Bonifacius per hæc cum magno Francorum, Bojorum, & qui ex Britannia convenerant, comitatu, tertium Romam profectus, redijt in Germaniam, atque ut Gregorius secundus, ita hic tertius pari sollicitudine cum diversis litteris ad diversos Germaniæ antistites, Principes & populos scriptis remisit, quarum unam ad harum regionum populos perscriptam interjungere necesse habui :

Gregorius
III. Pontifex.

Litteræ
ejus ad
Germaniæ
transrhenanæ
populos

Gregorius Papa universis optimatibus, et populo provinciarum Germaniæ, Thuringis & Hassis, Bortharis Nistrefis, Wedrinis, & Loganis, Suduodis & Grabfeldis, vel omnibus in Orientali plaga constitutis.

Quoniam decessor noster sanctæ recordationis Gregorius Præsul, nutu divino motus, ad faciendam Deo plebem perfectam præsentium portitorem litterarum Bonifacium, reverendissimum fratrem nostrum, ac Coëpiscopum, ordinans ad vos usque destinavit, eumque regulam et normam Apostolicæ et Catholicæ fidei Romanæ, cui auctore Deo deserimus, Ecclesiæ edocens direxit. Et post temporum spatia, orationis causâ, ad limina B. Apostolorum sese præsentavit, et quæ ad salutem animarum pertinent, à nobis poposcit imbuï; nos Deo favente ut sacra docet scriptura, eum edocentes, ad vos, charissimi remeaturum absolvimus; hortantes vos in Domino, ut dignè suscipiatis ab eo verbum exhortationis, et Episcopos vel Presbyteros, quos ipse ordinaverit per Apostolicam sibi datam auctoritatem, in Ecclesiæ ministerio recipiatis. Et si quos forsitan deviantes invenerit à rectæ fidei tramite, seu canonicâ doctrinâ, eosque prohibuerit, à vobis nullo modo impediatur, et quod eis impostum fuerit, obediendo propter Deum suscipiant. Nam qui temerator extiterit ad obediendum, sibi ipsi damnationem acquirit. Vos autem Charissimi, qui in nomine Christi baptizati estis, Christum induistis, abstinete et prohibete vosmetipsos, ab omni cultu paganorum, non tantum vosmetipsos corrigentes, sed et subditos vestros. Divinos autem et sortilegos, vel sacrificia mortuorum, seu lucorum, vel fontium auguria, vel phylacteria, et incantatores, et maleficos et observationes sacrilegas, quæ in vestris finibus fieri solebant, omnino respuen-